



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

2. Quàm sit necessarium monacho ante vigilias se ad eas peragendas præparare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

nachum vigilanter ac diligenter studere, vt feruitutis suæ p̄sum dignè valeat exoluere, ne illa eum Hieremiæ Prophetę formidanda comprehendat maledictio; Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter.

Quòd necessarium sit religioso, se ante vigilias preparatum reddere ad diuinum officium persoluendum.

CAPVT II.

Legitur in Ecclesiastico: Ante orationē præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Legitur præterea in collatione Abbatis Isaac, quod quales cupim⁹ in oratione inueniri, tales ante eam oportet nos præparari. Scribitur quoq; in libro, qui dicitur Speculum monachorum: Stude excitare cor tuum aliqua deuotione præueniens horam canonicam, quam dicturus es. Sume tibi exemplum à paupere, qui cùm vult eleemosynam ab aliquo diuite exposcere, studet eum præuenire: cogitans quibus verbis ad impendendam optatam eleemosynam valeat eum flectere. Inspice quoque aliquem mortis reum, antequam contra eum feratur sententia, quàm studiosè nititur cogitare, antequam sistatur iudicis tribunalibus, quid poterit perorare cùm ei astiterit, quod eum valeat ad misericordiã inclinare. Similiter seruus Dei antequam appareat in conspectu diuinæ maiestatis sollicitè cõsiderare habet, quomodo & quibus verbis eius misericordiam possit flectere. Grandis igitur fratres & temera-

mera-

meraria audacia est absque vlla præparatione ad tantam accedere maiestatem. Omnis quippe tam diurni quàm nocturni diuini officij fructus consistit in præuia præparatione, secundum quod dicit Propheta: Præparationem cordis mei audiuit auris tua. Et nulla potest esse perfecta oratio, quam meditatio non præuenit, vt ait Hugo in tractatu de oratione. Et Gerson in tractatu de mystica Theologia admonet, vt religiosus prætermisissis cæteris, ad canonicas horas dicendas se disponat.

Itaque dilectissimi fratres non sit nobis molestum vno horæ puncto, ante vigilias à lectulis surgere: cum omne earum meritum consistat in præparatione. Et venundemus Deo illam temporis morulam, & experiemur quam abundanter retribuet nobis. Et vt in hac præparatione aliquem teneamus modum, & non sit nobis vanum surgere ante lucem, tangemus hîc breuiter tres præparationis modos.

De tribus præparationum modis ad diuinum officium peragendum, & specialiter quomodo religiosus ad vigilias debeat præparare.

CAPVT III.

Dilectissimi fratres describunt Sancti tres præparationis modos, scilicet, præparationem

Remo-